

DE IURE DOMINII IMPETRANDO.

8.34.1

Imp. Alexander A. Nicolae.

Dominii iure pignora possidere desiderans nomina debitorum,
quos in solutione cessare dicis, exprimere et, an sollempnia peregisti,
significare debuisti, dummodo scias omnia bona debitoris, qui pignori dedit,
ut universa dominio tuo generaliter addicantur, impetrare te non posse.

PP. XIII k. Dec. Alexandro A. III et Dione consss.

[a. 229]

8.34.2

Imp. Gordianus A. Iustae.

Si creditor pignus iure dominii a nostra serenitate possidere petiit
et post formam praescripti alio anno usuras a vobis accepit,
a beneficio impetrato recessisse videtur.

PP. prid. non. Dec. Pio et Pontiano consss.

[a. 238]